

aus den Varianten die bisher unbekannte Einleitung und die sachlich erheblicheren Lesarten der Fortsetzung an, nach welchen die bisherigen Ausgaben zu ändern sind.

I. De Chronico Novientensi manuscripto eiusque antiquitate.

Codex hic membranaceus in quarta, uti loquuntur, forma bibliothecam Beati Rhenani Selestadiensis haud parum hucusque ornavit. Nam et veneranda antiquitate gaudet et integer optimeque conservatus nobis exhibetur. Hunc sec. XII. scriptum fuisse confidentius affirmari posse puto, neque temerarium mihi videtur, si asserimus huius codicis aetatem ad medium eiusdem seculi esse referendam vel saltem haud longe ab illis temporibus recedere.

Ut haec demonstramus, non necessarium esse duco, ut ad argumenta illa communia et signa interdum minus certa recurramus, quibus codices sec. XII. cognoscuntur. Hic ipse codex epocham longe certiore nobis subministrat, cum nimirum inter partem huius Chronici Novientensis priorem et eiusdem posteriorem, quam utramque tamen Martène in Anecdotis minus accurate coniunxit, haec verba inveniamus:

‘Sciunt huius scripti inspectores, quod ego Egelolfus abbas ecclesie Ebersheimensis consilio fratrum et aliorum discretorum virorum vinee partem sitam in veteri monte contuli Ingoldo villico de Sigoltsheim pro vino recompensando, quod dicitur ‘ein helde’, quod annuatim a nobis habebat, in iure donacionem hanc scripto confirmans, ne ipse vel successores sui postmodo curiam inquietarent. Acta sunt hec anno domini MCLXXXI, electionis autem nostre anno quarto’.

Haec leguntur in medio fere illius codicis; et quamvis cuique manuscriptum insipienti facile pateat non omnia huius codicis eodem tempore fuisse litteris exarata, tamen quae statim ab initio huius manuscripti reperiuntur longe antiquiora et multo nitidiora posterioribus. Unde nullum superest dubium, quin Egelolfus abbas hanc annotationem huic codici inseruerit, postquam prior pars Chronici Novientensis integre erat conscripta. Hic Egelolfus abbas vero successit Ottoni, qui XII annis ecclesiae et monasterio illi praefuit, quem praecesserat Notgerus abbas, in cuius anno quarto finitur prior pars nostri Chronici. Quod si itaque XII illos annos Ottonis abbatis et quatuor illos Egelolfi deducamus ab illo anno 1181, ab Egelolfo propria